



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus IX. De frumento duobus in solidum successivè vendito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

stentationem mediis sint instructa, ut multa, quæ ex defectu horum evenire consueverunt, incommoda evitentur.

Dein licet *cap. Quamvis pactum de pactis. in 6.* Nullum faciat discrimen inter intentiones, ex quibus similes renuntiationes fiunt, asserit illud tamen, renuntiationem valituram, si non do-

lo, aut metu juramentum fuerit extortum, quod tamen in præsentis casu videtur factum.

Attulimus utrique parti faventes rationes: quænam autem istarum aliis præponderent, ut indecisum relinquentes, Lectoris benevolo judicio examinandum relinquimus.



Casus IX.

De frumento duobus in solidum successivè vendito.

Sempronius emit perfoluto statim pretio aliquot modios tritici, & dimensis faccos à se in hunc finem allatos implet. Verùm, cùm comparatum hoc triticum in suas ædes, nescio, ob quas circumstantias avehere statim non posset, in venditoris ædibus depositos relinquit, ubi autem post aliquot dies ad molendinum emptos modios avehere volebat, à venditore intelligit, eos ipsos modios interea secundo emptori venditos, atque extra-

ditos fuisse. Sempronius inopinato hoc responso perturbatus.

Quær. Quid in his circumstantiis sibi sit faciendum?

Synopsis.

§. I.

Premittuntur varie in hac materia conclusiones.

1. Triticum potest emi ad corpus per aversionem.
2. Vel sine hac ad corpus, aut ad mensuram.

3. Contractum emptionis utrinque obligantem perficit solus utriusque consensus, ad consummationem verò & solutio, pretii & mercis traditio requiruntur.
4. Hinc res vendita emptori erit tradenda, ut hujus dominus evadat.
5. Pro diversitate autem rerum venditarum etiam traditio est diversa.
6. Traditione mercis accedere debet ex parte emptoris solutio pretii, hujus oblatio, aut fidejussor, vel pignus, aut fides de pretio habita.
7. Secunda venditio erit valida, si res primo emptori necdum tradita, nec pretium persolutum; à posteriore autem bona fide empta fuerit.
8. Res utrique in solidum successivè vendita, quandoam posteriori sit relinquenda.
9. Solvuntur objectiones.
10. Primo tamen emptori tunc competit actio personalis adversus emptorem ad interesse.
11. Rem mala fide à secundo emptam primus intra annum, à notitia acquisita numerandum, evincere poterit.
12. Ad quid in foro conscientiae secundus emptor constanter obligatus sit.
13. Si autem primo emptori res hypothecata, huic erit tradenda.
14. Res mensura constantes ipsa sui dimensione emptori traduntur etiam ad dominium, si pretium fuerit solutum &c.

§. II.

Resolvitur Quæsitum.

15. In proposito casu primus emptor à secundo repetere triticum poterit.
16. Et si secundo emptori traditum quoque fuerit.
17. Idem erit faciendum, et si nulli e mentium extraditum triticum, aut pretium persolutum fuerit.
18. Lucrum ex consumpto ab emptore secundo bona fide tritico relatum, primo emptori restituendum.
19. Si triticum nec in se, nec in æquivalenti amplius illum exi-

existat, solus venditor à primo emptore conveniri poterit.

20. In quibus circumstantiis venditor non extractum triticum licitè tertio poterit vendere.

§. I.

Premittuntur varia in hac materia conclusiones.

1 **O**Mne triticum poterit fuisse emptum ad corpus, in quantum totus & integer acervus absque expressione aut mensura modiorum per modum unius rei emptus est; hanc emptiorem dicunt factam per *aversionem*, eò quòd tali venditione omne periculum à venditore statim ad emptorem avertatur.

2 Secundò, potuit numerus modiorum fuisse expressus, & celebrata venditio ad corpus, vel ad mensuram, quoad corpus venditio est facta, si quantitas seu mensura tritici expressa duntaxat fuit demonstrativè seu causâ demonstrandi rem venditam, non verò, ut ipsa substantia tritici taxetur, & venditio præci-

sè ad expressam quantitatem restringatur, ad mensuram autem venditio datur, si tritici quantitas tanquam restrictiva & taxativa exprimitur, in quantum significare venditor intendit, se ex hoc toto acervo tritici nolle plus, quàm expressos his verbis modios distrahere juxta Baldum, Felinum, & Bartolum, & communem aliorum. Venditio ad mensuram fit, quando pro singulis modiis tritici certum pretium taxatur, qua taxatione ommissa venditio ad corpus facta fuisse supponitur.

Cùm autem aliud sit perfectio contractus emptionis, & aliud istius consummatio, ac implementum, hinc, etiamsi emptionem ac venditionem perficiat solus ementis ac vendentis consensus de re ac pretio ante mercem traditam, & pretium solutum; ut tamen ille consummetur, pecuniæ solutio & rei venditæ traditio sunt necessaria: ut itaque utriusque partis obligatio inducatur, sola perfectio emptionis, non autem hujus quoque consummatio requiritur.

Ex quo inferimus, ut emptæ
L rei 4

rei dominium obtineatur, ultra utriusque contrahentis consensum ipsius quoque rei emptæ traditionem necessariam esse juxta §. 3. in fine instit. de empto. & legem traditionibus 20. Cod. de patris. ibi: *Traditionibus & usucapionibus dominia rerum non nudis patris transferuntur, idem habetur in lege 27. ff. & V. sig.*

5 Pro diversitate autem rerum venditarum, quæ sunt vel immobiles, vel mobiles: uti etiam pro diversitate venditionum etiam ipsæ traditiones sunt diversæ. Si enim res pondere, numero & mensurâ constant, & per aversionem, seu ad corpus vendantur, tunc traditio fit modò per degustationem, uti in vino. *Lege 1. & lege 4. §. 1. ff. de periculo, & commodo rei venditæ.* modò per clavium vel annuli obsignatorii traditionem, dummodo apud horreum & granarium tradantur. *Leg. 2. Cod. eodem leg. clavibus 74 ff. de contrah. empt. leg. 1. § penultimo de acquirenda possessione.* venditæ autem ad mensuram intelliguntur traditæ, cum dimensæ fuerint; venditæ ad numerum, cum numeratæ; ad pondus, cum fuerint

ponderatæ juxta leg. 2. Cod. de peric. & commod. rei venditæ. leg. quod saepe. 35. §. in his. ff. de contrah. empt. ex quo constat, si quæstionatum triticum ad mensuram fuit venditum, ac mensuratum, illius traditionem intervenisse.

6 Ultra autem hanc ex parte venditoris requisitam traditionem ex parte ipsius emptoris etiam solutio pretii, hujusve oblatio, fidejussoris, vel pignora pro solvendo pretio exhibita requiruntur, aut, ut ipse venditor fidem de pretio habeat. §. 41. instit. de rebus venditio. leg. 19 ff. de contrah. empt. si enim fidem de pretio venditor non habuerit, censetur iste rei venditæ pretium, sibi reservasse.

7 Dico I. Si res vendita primo emptori nondum tradita, vel ab illo pretium necdum perlutum, consequenter eidem necdum obligata fuit, à secundo autem emptore bona fide emptæ, tunc secunda venditio validæ fuit. Ità communis & certa. Prob in tali casu triticum adhuc erat sub verò venditoris dominio, & tantum potentiâ alienum, eò quòd adhuc sub do-
mi-

minio vendentis fuerit, licet priori emptori debitum, & ex titulo emptionis eidem tradendum: ergo valida fuit venditio altera, cum dominus regulariter rem suam alienare valide possit.

8 Dico 2. Si eadem res utriusque emptori in solidum vendita, non autem priori, sed posteriori hypothecata, aut tradita, vel acceptum à secundo tantummodo pretium, vel de hoc fides habita, tunc posteriori emptori illa relinquenda erit. Prob. ex leg. Quoties 15. Cod. de rebus venditis. ibi: quoties duobus in solidum pretium distrahitur, manifesti juris est, cui priori traditum est in detinendo dominio esse potiore. idem traditur in lege. qui tibi. Cod. de hered. vel act. vend. & lege, si ancillam. Cod. de actionibus empti. Prob. etiam ratione, ut venditio transferat dominium, contractui inito accedere debet traditio: ergo si traditio tritrici secundo emptori facta, non autem primo; non huic, sed secundo emptori jus reale ad triticum est acquisitum, quod iuri merè personali primi emptoris prævalet.

Dices. Si res jam uni est vendita, tunc injustè & non jure venditur alteri; sed hoc modo posterior non existimatur potior. Prob. juxta legem. 15. Cod. de rei venditione. Is, cui prior res est tradita, tunc demum existimatur potior, cum prædium jure distractum. Resp. dist. textum. tunc, cui priori res tradita, existimatur potior, cum prædium jure &c. hoc est valide, distractum fuit, conc. cui jure, id est, sine injuria alterius est vendita, nequamdiu res priori emptori non extraditur, tamdiu venditor retinet illius dominium, ergo illam valide adhuc alienare poterit.

Dico 3. In hoc tamen casu 10 emptori primo competeret actio personalis adversus venditorem ad interesse, seu venditor posset conveniri à primo emptore, ut, quantumcunque suâ, id est, primi emptoris interest, rem secundo non esse venditam, & traditam, huic resarciat. Ità habetur in lege, qui tibi. 6. Cod. de hered. vel action. vendit. Lege. si ancillam, 11. Cod. de action. empti.

Dices 2. Venditio secunda induceret, si valida esset, tradi-

tionem rei posteriori emptori faciendam, ergo induceret ad rem illicitam, consequenter non est valida. Illicita autem hæc traditio est, quia res priori emptori est tradenda. Resp. dist. venditio secunda non est valida, si seorsim absque traditione consideretur: conc. si cum ista sumatur, neg. venditor enim adhuc mansit dominus, ergo validè, etsi illicitè potest alteri posteriori tradere.

11 Dico 4. Si posterior emptor optimè scivit, rem jam alteri antea fuisse venditam, tunc primus emptor rem venditam tanquam aliquid in suam fraudem alienatum, à secundo emptore intrà annum à die acquisitæ de alienatione notitiæ numerandum, in foro externo evincere poterit non obstante secundi emptoris dominio. Ità docent Lessius *lib. 2. cap. 21. n. 142.* Layman. *lib. 3. Theol. moral. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 4. n. 19.* cum Juristis communiter. Prob. ex *leg. 1. & sequent. ff. quæ in fraudem creditorum.*

Dices, Quando eadem res duobus obligatur, prævalet is, qui prior contraxit, vi *legis 12.*

princip. ff. qui potior in pignore. ergo etiam in venditione emptor primus prævalet. Resp. disparitatem inter hypothecam & rem venditam esse quod ad dominium rei venditæ acquirendum illius traditio sit necessaria vi *legis. 20. Cod. de pactis.* ex opposito hypotheca nudo pacto instituitur vi *legis. 12. princip. ff. qui potior in pignore.* ergo prævalet is, cui prius est res obligata.

Dico 5. Licet transactio an-12 nõ in foro externo ad reddendum emptum non ampliùs secundus emptor obligetur, manebit tamen adhuc obligatus in foro conscientiæ, si non ad ipsam rem primo emptori reddendam, saltem ad *interesse* in defectum venditoris solvendum. Prob. emptor secundus primo injuriam formalem intulit, dum triticum eidem jam venditum sibi comparavit, ergo ab hoc ilato damno debet illum reddere immunem. Confirm. Ipse venditor manifestam injuriam in primum emptorem commisit, ut hujus secundæ illicitæ principium: secundus autem emptor ad hujus injuriæ executionem & consumationem concurr-

currit, & quidem longè plus, quàm si consulisset, aut suavisset. ergo si consulens & suadens sunt ad talia obligati, etiam secundus emptor ad hæc erit.

13 Dico 6. Si res vendita primo emptori fuit hypothecata, iste secundo præferendus erit, non obstante, quòd secundus pro tritico pretium solverit, ac istud per traditionem acceperit. Prob. per talem hypothecam primus emptor speciale jus in hoc tritico acquisivit, ergo secundus non potuit dominium firmum in illo acquirere. habetur in lege, *si prior. ff. qui potiores in pignore. §. fin. ibi: in pignore placet, si prior convenerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc priorem esse potiore*: ita Baldus, Salicet. Covarruv. cum communi.

14 Dico 7. Si res mensurâ constans primo emptori ad mensuram fuerit, eo ipso est illa primo emptori tradita, etsi præterea pretium ab illo solutum, aut fides pro hoc habita, vel pignus quoddam pro eo datum, tunc primus emptor dominium rei venditæ acquisivit.

Ratio primi membri est, quòd

res mensurâ constantes, & ad mensuram venditæ, tunc demum traditæ emptori intelliguntur, quando illæ dimensæ fuerint, non secus, ac ut pondere, & numerò constantes intelligantur traditæ, quando appensæ, vel numeratæ emptori fuerint. habetur in leg. 2. Cod. de permutat. & commut. rei venditæ. *Lege. quod sepe 35. §. in his. ff. de contrah. empt.*

Ratio secundi membri est, si traditio facta & pretium solutum, aut fides de hoc habita, tunc venditio est consummata; ergo possessio & dominium in emptorem translata: possessio quidem, quia per traditionem venditor emptori præstat habere, licere rem, quam vendidit, seu, ut fructus percipere possit, cum traditio juxta legem 3. ff. de actio. empti. Sit vacuæ possessionis translatio, ita, ut, qui tradit, domini animum deponat, & qui accipit, sumat. juxta legem 12. ff. usufruct. quemadmodum cave.

Quòd autem cum possessione dominium quoque translatum fuerit per traditionem ex eo constat, quòd omnis traditio ex justa quadam causa præce-

dente (qualis est emptio) transferat in accipientem totum id, quod erat penes vendentem. *Leg. 20. & 31. ff. de acquirendo rerum dominio.* Ergo si venditor habuit dominium in triticum, illud in emptorem per traditionem transtulit.

Confirm. Emptiones ac venditiones sunt institutæ non tantum ad acquirendam possessionem, sed ad acquirenda quoque ipsarum rerum dominia. *lege 30. ff. de acquirendo rerum dominio.*

Confirm. 2. Juxta *legem penult. in fine. ff. de contrah. empt.* Si inter emptorem & venditorem agitur, ut rei venditæ dominium non transferatur, nulla fuit celebrata venditio, sed alius quidam contractus, v. g. locationis depositi &c. ergo venditio ex sua natura est translatio dominii per traditionem, ad quam obligat, nisi quidpiam ejusmodi translationem impediat, quale est carentia dominii in venditore.

Confirm. 3. Juxta *legem, quod sepe. 35. §. in his. ff. de contrah. empt. & lege. cum convenit. 2. Cod. de periculo & commodo rei*

venditæ. mensurata re, hoc est, facta tibi traditione periculum venditæ rei est emptoris, ergo emens evasit dominus rei venditæ. Prob. conseq. quælibet res perit domino suo, ergo &c.

§. II.

Resolvitur Quæsitum.

Dico 1. Cùm juxta fundamenta modò posita triticum dimensione sui primo emptori traditum & pretium quoque solutum, & hinc dominium illius ei concessum fuerit, hinc iste poterit triticum à secundo emptore repetere, & secundus ad illud restituendum erit obligatus. Prob. primus emptor est verus dominus ob sibi traditum mediante dimensione triticum, neque dominium suum per secundam venditionem amisit, cùm venditor secundum contractum inscio primo emptore celebraverit; *quod autem nostrum est, sine facto nostro in alium transferri non potest. Leg. 11. ff. de Reg. juris.*

Dico 2. Si autem secundo emptori triticum etiam fuerit tra-

traditum, per hoc tamen juxta dicta nullum illius dominium acquisivit ob contractus hujus nullitatem, & hinc suo domino acceptum restituere debet.

17 Dico 3. Eidem priori emptori triticum fore restituendum, etsi neutri emptorum illud fuisset traditum, nec pretium ab ullo emptorum persolutum. Ratio est, quod nullus illorum haberet jus in re, sed uterque solum personale, vi cujus venditorem ad triticum sibi extradendum obligare possent. Cum ergo prior tempore sit potior jure. Reg. 55. juris in 6. & habet lex in operis ff. locati, ideo in tali casu priori emptori triticum erit restituendum. Accedit, quod secunda venditio utpote præjudicans primæ fuerit illicita.

18 Dico 4. Si triticum à secundo emptore jam fuisset consumptum, extaret autem in æquivalenti, in quantum secundus venditor exinde factus est ditior, lucrum hoc primo emptori erit restituendum. Conclusio constat ex dictis.

19 Dico 5. Quod, si neque in se neque in æquivalenti triticum bona fide consumptum apud

emptorem secundum ampliùs existeret, ipse venditor à primo emptore ad damnum sibi illatum obligari poterit. Ratio est, quia formalem injuriam primo emptori intulit, ad quam tollendam est obligatus, non autem emptor secundus, cum enim bona fide ponatur consumpsisse triticum, ita, ut nec in se, nec in æquivalenti ampliùs existat, hinc neque ex re accepta, neque ex injusta acceptance obligatus est, imò etiam contra venditorem iniquum agere poterit ad interesse, quod, si venditor triticum in specie reddere nequeat, pretium à primo emptore acceptum restituere tenetur unà cum præstatione ipsius interesse, ut sibi resarciat damna, quæ ob malitiam ipsius hinc & nunc passus emptor primus fuerat.

His omnibus volumus ad-²⁰ jungere, quæ in leg. 1. 2. & 4. §. ult. ff. de periculo & commod. rei vendita habentur, scilicet, si res vendita ad mensuram sive ad corpus contineatur in vase, aut alio quodam loco, quo venditor indigeat, elapso autem tempore, quo emptor tenebitur ex-

trahere, monitus, coram testibus à venditore, ut extrahat fuerit, nec tamen extrahat, posse venditorem talem rem tertio vendere, vel alia vasa, ac locum sumptibus emptoris conducere, aut, si in loco rem relinquat, mercedem tanquam lo-

cationis exigere. Erunt igitur circumstantiæ in hoc casu ratione asservati tritici occurrentes bene expendendæ, ad hoc, ut decidatur, num triticum hoc licite vel illicitè fuerit tertio venditum.



Casus X.

De Venditore infra dimidium justii læso.

SEmpronius statuum, quia præstantiam metalli, ex quo illa fusa, ignoraverat, pretio, justo multum minore vendit postea autem errorem suum à peritioribus dedoctus, ex aliis.

Quær. Utrùm hunc contractum ob sui in pretio læsionem rescindere possit?

§. I.

An, & quomodo læsis in pretio venditoribus ipsa jura succurrant?

Synopsis.

1. Adducitur Lex 2. Cod. de rescindenda venditione.
2. Uti etiam Lex, si voluntate. 8. Cod. eodem.
3. Enumerantur quinque à prædictis legibus statuta.
4. Infra dimidium læsis succurrunt Canones per viam denuntiationis Ecclesiasticæ.
5. Ad compensationem damni etiam intra dimidium illati lædens in conscientia obligatur.
6. Nec ab hac bona fide lædens per se erit excusatus.
7. Quia leges lædenti rei emptæ